

parte cū iliū osse nō vnitur, & coccyx priuatim appellatur, quē musculum *li. 12. adm. anat.* à coccyge producit, latius accepto ossis sacri nomine. Accedit quod Galenus *lib. de off. scribat*, ossa sacri & coccygis, coctione dissoluta, similem cum vertebris structurā referre cū vulgaris coccygis ossa etiam sine coctione sint mobilia, & separabilia, solis ligamentis vt caudarum ossa inuicem connexa. Quapropter non inepte & inscienter Gal. prodidit, à coccyge siue extremitate ossis sacri neruos deriuari, qui in femur tibiamq; disseminantur. Nec mirari oportet, si tribus ossibus propriis inter se coagretatis os sacrum cōstare scripserit, quib. coccygem velut quartum adiunxit: quia vnum idemq; os diuersa nomina fortiri potest. Ipse humerus parte à nobis spectabili *epomis*, parte spinæ suæ summa *acromion*, parte lata *omoplata* vocatur. Coccendicis os vnicum est, trib. tamen nominibus distinctū, vbi lateribus ossis sacri annectitur os ilium dicitur, ad corylem *isphion*, antica parte *os pubis*. Recte igitur poterit *os sacrum* parte superna dici, inferna *coccyx*, cum ipse Ruffus Ephesius antiquior Galeno, ossis sacri vltimum ossiculum *coccygem* appellaret.

## C A P. XXXIV.

## De Coccyge.

Ossis sacri extremo attextitur *Os paruum*, quod à similitudine rostri cuculi *Coccyx* dicitur, vel à voce de sono facta eo quod crepitus, qui inde per sedimentum exeunt, ad id os elisi cuculi vocis similitudinem effingunt: siue quod tale os sedimento adglutinatum sit, quod illi *καλλὰ δει* dicunt *κα τὴν κάλαξ κάλον*, & ab his deriuatum *κακκός*, illud vero os *colon* appellatur, quia mutilum & decurtatum ex Metetio, musculum *ani leuatorē* firmat, & interiorem rectum propter natiuam amplitudinem extra peluim productum sustinet, atque extremum spinæ foramen obturans, spinalem medullam ab aeris iniuriis tuetur. Denique ictus & conusiones molliter excipiens efficit, ne qua fractura ad os perueniat. Cōcreuit ex trib. vel quatuor ossiculis fungosis & sterni modo rubicundis, præsertim in iunioribus. Si figuram eius & structuram spectes, ex ampliore basi in mucronē delinit, qui viris introsum incuruatur, mulierib. extrorsum, vt minus impediret fœtus exclusionē. Eiusmodi ossa coccygis pertusa sunt, vt spinalis medullæ extremum excipiant, ab iistria neruorū paria educi pro Galeno sustinet Syluius contra omnem rei veritatem: quos tantum in simiis & canibus reperiri peritiores Anatomici vno consensu affirmant. Ea pars quibusdam populis excrescit & in modum caudæ propendet Scribit Plinius *li. 7. cap. 2.* in India homines nasci cauda villosa pernicitatis eximix, & Paulus Venetus *lib. 5. sua peregrinationis cap. 18.* testatur in regno Lambri inueniri, qui caudas habent, vt canes longitudinis vnius palmi & hos in ciuitatibus non habitare, sed in montibus; Fabulosum puto, quod de Anglis referunt Historici quibus ob contumeliam D. Augustino illatam, Deus coccygen instar caudæ produxit.

## C A P. XXXV.

## De Thorace.

Thorax partium vitalium conceptaculum, comprehendit anterius, quodcunque est à clauibus vsque ad cartilaginem *Xyphoidem*, posterius totam costarum compositionem, quæ à prima dorsi vertebra ad lumbos protenditur. Interdum Hippocrates & Aristoteles pro vniuerso trūco corporis Thoracem accipiunt, quem à iugulo ad pubem vsque metiuntur. Sed proprie denotat quidquid costis interceptum est. Affigitur ad eam spinæ partem, quæ *Dorsum* dicitur, tanquam nauis ad carinam. Quare necessario eius longitudo æquabitur dorso, latitudo erit pro vertebrarum magnitudine. Natura in eius fabricatione alios scopos sibi proposuit, vocē scilicet, *respirationē cordis ac pulmonis magnitudinem*, & pro horum necessitate, *thoracis longitudinem & latitudinem* effinxit. Figurā *Oualem* obtinuit ad loci capacitatem, mouendi facilitatem, & partium internarum securitatem. Ideo partim osseus, partim carnosus efformatus fuit, musculis & ossibus alternatim commutatis, vt in aeris inspiratione & fuliginis expiratione commodius attolli & deprimi posset. Totus enim osseus si fuisset, ad respirationem dilatari & constringi non potuisset. Attamen ferunt eiusmodi structuram thoracis luctatori Protophani Magnesio in Olympia eodem die pancratio & lucta victori contigisse. Huic vt aliis hominibus costæ non erant discretæ, sed os vnum continuum à iugulo, vsque ad vltimam costam. teste *Pausania, lib. 1.* quod tempore Adriani Imperatoris eruto caduere confirmatum fuit. At si Thorax totus carnosus constructus fuisset, in se concidens cor & pulmones compressisset, nec iustum ipsis spatium ad motum reliquisset. Quapropter admirabili naturæ industria factus fuit, partim *Ossis* partim *Carnis*. Ossa carnis adiuncta sunt, non tantum ad firmandas sustinendasque clauiculas, scapulas, brachia, Verumetiam vt ab illis muscoli thoracis & abdominis enascerentur. Thoracem constituunt ossa triplicia, *Sternum* parte antica, *Spondyliis* parte postica, à lateribus *Costæ*.

## C A P. XXXVI.

## De Sterno.

Sternum ex multis ossibus ad dyspathiam & motus facilitatem compactum est. Quorum numerus pro ratione ætatum mutatur. Etenim puerulorum Sternum in prima generatione totum cartilagineum est, & prorsus continuum. Vbi autem in os formari incipit, ossis naturam celerius superiores quam inferiores, & mediæ quam extremæ partes assument. Vt obseruauit Eustachius, Fœtu in lucem edito Sternum ferme ad huc totum cartilagineosum, transuersim in sex partes diuiditur, quibus addi potest os illud cartilaginis, xyphoidis fundamentum, Tandem exacto septennio hæc ossa sic inuicem coalescunt, vt postea os vnum & continuum appareat